

Nunc ad propositum reuertamur. Iste est Pythagoras, qui ardenti rapiendę virtutis studio, & in Aegyptum profectus, transacti temporis notitiam, & à Sacerdotibus Aegyptiis in Persidam, inque ipsam (vs Iustinus ait) Babyloniam, syderum cursus, omnemque cœli rationem, ac Mundi originem à Persarum Magis, Cretam deinde Spartamque rediens, ab eorum Sapientibus mores egregios, Minoisque & Lycurgi instituta perdidicit. Fuit & Pherecydis Syri discipulus, illius antiqui, qui primus omnium dixisse reperitur: Animam immortalem: opinionemque sanctissimam ab illo susceptam, Pythagoras confirmavit, cuius rei Cicero testis in Tusculanis est. Denique in eam partem Italiae, quę tunc Magna Græcia dicebatur transgressus est, multisque suis memorabilibus monimentis editis, Metaponti diem obiit. Vir magnus in primis, & qui non nominis solum inuentor, vt Cicero idem ait, sed rerum etiã amplificator fuit, priuatimque & publicè præstantissimis institutis & legibus Italiam exornauit: huius autem tam vehemētis studij, & tam copiosę doctrinæ fructum, venerationē quãdam singularem viuens moriensque percepit. Sed de hoc alibi.

s. iij.